

tem et sanctissimam redolentibus disciplinam. Quis illo candidior unquam fuit? Quis mitior? Quis iustior? Quis ad bene faciendum largior, ad inferiendum paratior, ad ignoscendum lenior, ad ferendos naevos hominum et errores, patientior? Comis, facilis, benignus, affabilis, suavis, mirumne est, quod ab omnibus amabatur, ab iis etiam, qui vel sanctissimos caeteroquin homines dictis atque factis non dubitant incesse? Ille vero quantumvis excelleret his quasi virtutibus externis, magis tamen immo omnium maxime excoluit internam mentis integritatem unquam deo dicatam pietatem, quae quos fructus tulit occulte, e. e. liberalitatis atque munificentiae, eos, ut pauci norunt, ita credibile est, a nemine nosci omnes.

Tanto magis omnibus ea, quae occultari nequibat, eruditio solida atque varia enotuit, cuius quidem specimina publice edita adscripta sunt in margine (19). Haec ut priuatim omnia illius imbuebat, vel iuuiti, dicta atque facta, sic publicam alliciebat vndique doctorum hominum benevolentiam, eorum in primis, a quibus accipere et ad quos dare literas solebat, ut FEVERLINI, REVSCHII (20), QVISTORPIORVM, AEPINI, MASCHII, RATHLEFII, SCHOLTZII, multorumque aliorum, in his CHRYSANDRI, qui aliquando, Decanus quum esset Theologici ordinis in academia Rinteleni, posteaquam cupere se significauerat, Doctorem illum Theologiae ex merito renuntiare, responsum tulit illud, quod modestiae viri nemini nostrum ignotae erat conueniens, cui tamen spreta haec gloria tanto maiorem exinde gloriam, proborum hominum iudicio, attulit.

Nec dum de coniugio illius dictum est. Quod itidem tale inuit, ut ferret omnium applausum, cum Virgine scilicet nobilissima virtutumque pulcherrimarum decore ornata, ANGELIA CHRISTINA, ex gente laudatissima STOLTERFOTHIORVM, viri spectatissimi IOH. BERNHARDI STOLTERFOTHII, cuius quondam primarii & florentissimi mercatoris, filia, natu maxima. Ex qua domum ducta A. XLIX. a. d. XXVIII. Aug. filios suscepit duos, tres filias, quarum duae, gemellae illae, quo anno introierant in vitam, e vita quoque exierunt. Sed reor expectari de omnibus plura. Filius primo genitus, IOHANNES FRIDERIGVS, qui lucem adspexit A. LI. a. d. XXX. April. multum excitat bonae spei eodemque die, quo parentem, proh dolor, amisit, in hoc Gymnasio e tertia classe transuectus est in secundam. Proles altera, CATHARINA DOROTHEA, exorta est A. LV. a. d. XVI. Mai. Tertia et quarta, MARGARETA AMALIA et ANGELIA ELISABETH, gemellae, de quibus dictum est, sorores, natae A. LVII. a. d. XX. Mart. expirarunt eodem anno, illa a. d. XIII. Decemb. haec a. d. XXVII. Octobr. Quinta denique eademque mascula proles, IOHANNES BERNHARDVS, in hanc vitam intrauit A. LXI. a. d. XIII. Febr. Pusillus superstitum grex et infantulus, qui aut parum agnoscat, aut ignorat omnino, quali parente, quam amabili, quam reuerendo, sit orbatus!

Vitam viuere! vitam! vitam! mecum non sine lacrymis ingeminari ab omnibus audire mihi videor, qui et doctrinam viri & virtutem & iuuentam miserantur & liberorum actatulum vident & suam praecipue sortem dolent. Verum vt tenue circumferebat ille corpus & humile, ita tenui, modicoque victu videbatur esse sustentandus, & modico labore onerandus. Quorum alterum visus est semper, alterum non potuit obseruare. Nam qui potuisset, qui tanta quotidie vrgebatur negotiorum multitudine, tamque erat sollicitus, ne non vllum recte penitusque conficeret? Idque vel eo specimine docere sufficiat, quod pro aede magna atque ampla hebdomadibus dierum singulis bis saltem voce illius animanda, quum vix satis firma latera habere videretur, nunquam tamen nisi summa coactum necessitate partibus ipse suis desit. Quo factum esse credibile est, vt ante tempus viribus exhaustis deficeret. Atque se enervatum sensit ipse mature. Maxime illo die, quo postremum concionatus est, scilicet illo, quo Christi a Iudaeis cruci affixi, quotannis renouari solet inter Christianos memoria, ille vero mane de somno his erat verbis expergefactus PAULI GERHARDI, quibus is in cantuarii optat, eam sibi obtingere felicitatem, vt quasi sub cruce Huius, qui est vita nostra, mortem oppetat. Ac debilis et infirmus quum prodisset in suggestum, nimis multo descendit infirmior & debilior, statimque die postero profesto, ferali lecto fuit affixus. Cuius rei rationes exitumque sanctum exponit arcesitus prope Medicus, vir nobiliss. atque experientiss. D. B. H. L. LEMBEKE, felicissimus caeteroquin artifex medendi, his verbis: *Jam diu ante morbum suum, Vir maxime Reverendus, SCHNOBEL, amicus meus & fauor optimus, & post mortem etiam mihi semper venerandus, conquestus est de lassitudine corporis, anxietatibus praecordiorum animique inquietudine. Corripiebatur autem die sexto mensis Aprilis versus noctem pleuritide in latere dextro, dolore scilicet punctorio cum febre continua aucta, tussicula & respiratione impedita. Instituta & reperita vena sectione, dolores & morbus, quem itidem ante annum iamiam perpeffus erat, in meliorem quidem exibat partem, atque expectoratio facilis, dolores sensim cessantes, transpiratio bona, ac liberior respiratio optimam faciebant spem sanitatis mox restauranda usque ad diem nonum M. Aprilis. Sed tunc versus noctem subito cruciabat colica spasmodica fluctuata cum multis excretionibus aluinis. Sedata & haec est, adhibitis medicamentis idoneis, redeuntibus tamen simul in dextero latere doloribus, qui vero mox, subsequente expectoratione sanguinea, remittebant itidem. Post aeger leui timore vel potius terrore motus incidit in deliria versus noctem incrementa. Accedebant spasmi, inquietudines, & tremores membrorum totiusque corporis, & augebantur haec ita, ut adstantes aegrum in lecto dormire vix esse possent. Elapsis ita tribus horis debellata tandem erant mala rite oppositis remediis, tunc exierunt, tum exierunt. Redibat quies membrorum totiusque corporis; sed manebant deliria leuia, oculis etiam operis: Involuntario deponebantur excretionibus aluina. Sic peractis viginti quatuor horis, aliquantulum dormire incipiebat aeger sed somnus erat interruptus & per intervalla semper aderant deliria & mentis alienata signa, usque dum morbi dies nonus & morbi & vitae finem adferebat.* Scilicet a. d. xv. Apr. sub ipsam mediam noctem, laetus et tranquillus nihilque animo turbatus, expirauit inter preces et suas et suorum, postquam triduo ante Coniugi liberisque & propinquis, ad hoc arcesitis, valedixerat sacraque fuerat coena vsus, quam ministrabat ipsi vir admod. reuer. & praeclearissimus CHRISTOPH. GOTTHILF KOHLKEIFF, Archidiaconus aedis eiusdem Marianae meritisimus, Collega ipsius et ad DEVM rite placandum Mystagogus fidelissimus.

Ergo, virorum optime, abiisti, quo vocare nos solebas, saepissime in concionibus voce sublata. Abiisti illuc, vnde redire ne nostra quidem causa, quantumvis & amaueris nos & amatus fueris ab omnibus, fas esse duceres. Tam bene Tibi est, tam parum, quantumcunque dubitemus moerentes et infirmi, nobis vtile, vt redeas! Fruere ergo luce coeli & gaudiis ineffabilibus! Fruere beatissima sorte, quae Tibi obtigit. Fruere bonorum cumulo innumerebilibus, CHRISTI merito, cui inuocabas corde sincero fideque optima, Tibi partorum in aeternum. Tibi in animis nostris en! reposita sunt Tuorum meritorum grataeque mentis nostrae & reuerentiae monumenta, tempore nullo destruenda. Vale iterum, beate SCHNOBELI, aeternum vale!

An vero verendum est, ne non idem mecum sentiant illi omnes, qui squalidi tristitia & moerore confecti, plus videntur, quam vlli reliquorum, in tanto Viro amississe, Coniux optima, Liberi, Fratres, Socrus, Affines, Agnati, Cognati, Collegae, omnes denique Auditores Eius & Ciues, illi in primis, qui sanctam coluerunt cum ipso, partim ab ipsa inde, vt & ego, praetexta, amicitiam? Minime! Sed omnes dabimus operam, vt abstergamus animo luctus, resistamus dolori, & speremus, omni dubio procul habito, fore, vt vulnera DEVS ipse nobis inflicta suo tempore persanet. Impleat hanc spem Numen Optimum, quod fiet, domumque nobilissimam grauisime hac acerbitate afflictam omnis generis laetitia & felicitate soletur!

Quod optantium pars praecipua quum sitis & primaria haud dubie, MAGNIFICI et ILLVSTRES Reip. CONSVLES, Summe venerab. reuerendo Canonice Ordinis PRAEPOSITE, Generosiss. Eorundem DECANE, Summe reuer. atque excellentiss. sacrorum PRAESVL, Nobiliss. Prudentiss. Consultiss. atque experientiss. Viri, Reipubl. SYNDICI, Iuriumque et salutaris artis DOCTORES, Admodum Reuer. et Praecleariss. sacri Ordinis SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, Nobilissimi Generos. Prudentiss. et Ampliss. Viri, Reipubl. SENATORES, PROTONOTARIE et SECRETARII, non dubium est quoque, quin sumus hodie ducendum, quo iusta perfoluantur Viro insigniter merito, beneuoli frequentesque comitaturi sitis, caeterisque, qui colunt Eius memoriam et colent, exemplum praecituri, quod vel volentes rogare atque orare obseruanter decenterque pro eo, ac debeo, sustineo.

P. P. Lubecae ipso exsequiarum die xxv. Apr. A. MDCCCLXV.

(19) 1.) De die appropinquante ad Hebr. X, 25. Lubec. 1752. 4. 2.) De recentiori quadam translatione verborum ἐπι κεφαλῆς I Cor. X, 10. Lub. 1754. 4. 3.) Bibliothecae Nouae Lubecensis Voll. VIII. Lub. 1753—1756. 8. itemque Miscellaneorum Lubecens. Voll. III. Rost. & Wismar. 1758—1761. 8. non dubito Eidem adscribere, quia praecipuus fuit harum opellarum editor. 4.) Observatio grammatica & philologica ad Pf. VIII. 2. quae reperitur in Bibl. noua, quam dixi, Lubecensi Vol. I. p. 119—135. 5.) Index & argumentum Disputationum ad forum Theolog. & philosoph. pertinentium in academ. Scan. Londinensi habitatum, ibid. Vol. IV. p. 146. sq. 6.) Accessionum & Supplementorum ad b. M. MICH. LILIENTHALII Archivarium Biblicum specimen. Ibid. Vol. VIII. p. 120. sqq. Praeter alia multa, quae et Bibliothecae nouae et Miscellaneis Lubecensibus, vel nomine prorsus celato, vel sola indicato litera S, addidit. 7.) Memoriae aliquot meritis-

simor. viror. vt b. Parentis, it. Engelberti Braschii, aliorum, Germanice conscriptae. 8.) Von der Taufe der Erwachsenden, eine Predigt bey der Taufe eines jungen Mohren über Act. VIII. 35—39 gehalten Lubecae 1753. 4. 9.) Die allernöthigsten Lehren der Christl. Religion, quae prodierunt sine auctoris locique mentione Ploenae 1750. 8. Quibus praefixam Praefationem memorabilibus elaudit his verbis: *Sollte aber nicht alles einfältig genug vortragen seyn, so würde dies der erbeblichste Vorwurf seyn, der dem Verfasser, vermöge seiner Absicht, gemacht werden könnte.* Addamus 10) quae prelo quamuis parata iacerent, tamen subiecta nunquam fuerunt, vt: Traured bey der Hochzeit seines jüngsten Bruders Hr. J. H. Schnobels gehalten A. 1759. d. 29. März über I B. Mos. XLIII. 29. et alia.

(20) Qui literis etiam tenerrimum spirantibus amorem dedicauit ipsi Animaduersiones suas in ven. WATERI Compend. Theol. Ien. 1757. 8.